

**† R. P. Stephanus Maret (1850–1934)**

(*Vice-Prov. Pacif. Sept.*)

R. P. Stephanus Maret iudicio omnium et Superiorum et confratrum qui eum cognoverunt prorsus videtur dignus cuius memoria typis mandetur, virtutesque et gesta «ad consolandos et aedificandos Confratres», ut nostrae Constitutiones loquuntur, non modo Provinciae, verum etiam universae Congregationi dimittantur. Quanquam enim ingenio atque doctrina minus eminebat, virtutibus tamen Iesu Christi Redemptoris, ministerio apostolico, necnon muneribus in Congregatione gestis inter eos qui «vere eminuerunt», illorum qui eius familiaritate usi sunt nemo est cui carissimus defunctus adscribendus non videatur. Verum huius loci non est de P. Stephani vita, virtutibus, meritis prolixius disserere. Compendiose igitur et summo quasi calamo perstringenda, quae de hoc Redemptorista genuino fuse enarrata ab omnibus magna cum aedificatione legerentur.

PATRIS MARET PEREGRINATIONES. — R. P. Maret in Helvetiorum Valesia prope oppidum Bagnes, Sedunensis dioecesis, d. 3 Novembris a. 1850 christianis est piisque parentibus natus. Totum eius longae vitae curriculum his stationibus, veluti milliaribus, notatur ac definitur: Humaniorum litterarum studia peregit in gymnasio Bagnensi. Congregationem nostram ingressus est annos natus quinque et viginti. Exceptus est (*Contamines*) a R. P. Hauger. Novitiatus Magistrum habuit R. P. Chavatte. Expleto (*Avon*) novitiatu, kal. Novembr. a. 1876 vota religiosa nuncupavit (*Saint-Nicolas-du-Port*). Tum in ecclesiasticas disciplinas, philosophicas in *Houdemont*, dogmaticas in *Avon*, morales tandem *Conchae in Aequatore* incepit.

Nec uno loco est ad sacros ordines admissus. Minoribus enim initiatus est Lutetiae Parisiorum d. 3 Iunii a. 1878 ab Exmo Ignatio Ordóñez, Episcopo Bolivarensi, qui tunc temporis ab Aequatore exsulabat. Eodem anno mense Septembri subdiaconus factus est in Avon. Anno post Lutetiae Parisiorum ordine diaconatus est insignitus; vastosque emensus Oceani tractus eodem anno, d. 20 Decembris, Conchae in Aequatore ab Ordinario loci Excmo Remigio Esteves de Toral presbyter unctionis est.

Mox, Hispanicae linguae satis percepta notitia necnon et Indianaee inde ab a. 1885, laboravit in hac Conchensi dioecesi, in Bolivarensi (Ribambae), in Portorichensi sede in Antillis, indeque in Hispania duos annos; unde in Americam reversus, in Bolivarensi iterum, orbemque perficiens, tandem in sua Conchensi, sese missionibus ceterisque apostolatus nostri ministeriis totum et animo et corpore ac nervis omnibus devovit.

Rectoris munere Conchae primum functus est (1890). Ribambam sequenti triennio est translatus. Mortuo P. Grisar, fundationis Portorichensis Superiore, illuc est R. P. Maret a. 1896 missus ad locum eius supplendum. Postremus fuit missionariorum, qui praestandae operae causa sunt a Provincia Gallica in Hispanicam missi. Rector a. 1898 iterum est Ribambam reversus, unde expleto triennio, a. scilicet 1901, Concham remigravit, Praeter rectoratum munus etiam Magistri ac Praefecti novitiorum obivit.



In hac domo tres et triginta solidos annos, postremos suae vitae vixit. Tredecim ante vixerat. Hinc d. 14 Iulii 1934, aetatis agens quartum et octogesimum, in caelestem patriam migravit, sanctorum Redemptoristarum gloria procul dubio coronandus.

**VOCATIONIS HISTORIA.** — Stephanus prima aetatula patris armenta pasciebat. Studiis primarum litterarum confectis, quasi Christum Dominum dicentem sibi audivisset: « Incipe, puer, oves meas pascere », catechismum, historiam, geographiam, arithmeticam natu aut disciplina minores se pueros edocenda suscepit. Studia vero sua Stephanum, ut erat ipse dicere solitus, ad maiora trahebant, tanquam ad aures animi dicentia: *Ascende superius!* Parentes igitur ipse rogavit ut, discendarum causa humaniorum litterarum, Bagnensis gymnasii sibi portas aperiendas curarent. Voti compos factus ea se pietate et diligentia studiis dedit, ut exemplo optimis esset condiscipulorum.

Singularis amicitiae nexu, morum studiorumque similitudine effecto, *Augustum Bruchez*, praestantem et ingenio et virtute adulescentem, Stephanus sibi coniunxit. Cum amico desiderium sacerdotii in statu religioso amplectendi communicavit, statimque ad Patrem Masson, popularem suum in domo nostra Contamines Sabaudiae residentem, communes litteras dant, quaerentes, quid sib faciendum ut in eius societatem admitterentur. Pater Masson utriusque adulescentis pio prudentique desiderio satis absque mora fecit, et d. 15 Sept. a. 1875, vale dicto gymnasio Bagnensi, duodeviginti natus annos Augustus, Stephanus quinque et viginti, limina Congregationis pulsavere<sup>1</sup>. Stephanus novitiorum Magistrum fertur ineunte novitiatu adlocutus ita: « Quodcumque volueris, R. Pater, de me facito: Patrem, aut Fratrem laicum, ut tibi placitum fuerit ». Quibus profecto verbis iam sese abnegatione sui veri nominis Redemptoristam prodebat.

**REGULARUM OBSERVATOR ET CUSTOS FIDELISSIMUS.** — De Regulis et Constitutionibus nostris quid sentiret, ipse promebat, cum de illis observandis ad sibi subditos Congregatos verba faciebat, aliquando earum volumen manibus tenens, elataque voce dicens: « Haec sanctae Regulae sunt Evangelium ac Decalogus noster. Lex est nobis accommodata. Legenda est ac servanda semper ». Confratres hortari solebat viva voce, scripta identidem latine, semper plena fervoris: « Esto regularis... et semper tecum manebit Iesus ». Scriptam etiam hanc *fidei professionem* reliquit: « Credo nostrarum omnium finem Regularum ac Constitutionum alium non esse

<sup>1</sup> De R. P. Bruchez, d. 10 Febr. 1908 in Buga Columbiae pie defuncto, videsis *Mémorial Alphonsien* 78.

quam vivam Iesu Redemptoris imaginem in Redemptoristis singulis effingere, virtutibus eius et vita in aerumnis et laboribus acta imitandis unoque opere Redemptionis procurando ». Dicensque singula Constitutionum praecpta totidem esse veluti penicilli ductus, quibus divini Redemptoris effigies in nobis depingitur, inde a suae religiosae vitae primordiis hoc sibi propositum habuit, ante singulos videlicet actus atque exercitia pietatis haec verba semper dicere: « Iesu, amor meus, omnia sicut Tu. Deum volo sicut Tu glorificare, sanctus esse sicut Tu, animas salvare sicut Tu ». Cum Rector est primo renuntiatus, « magno timore correptus (scribit) quod tanto muneri obeundo imparem me esse censebam, mea feci sequentia S. Alfonsi proposita, in regendis communitatibus servanda: « Primum, servare Regulas ad litteram. Earum me ipse nunquam praescriptionibus solvam, neque subditos, nisi ad maiorem Dei gloriam. Superior qui Regulas infringit scandalum praebet inferioribus, hosque in earundem transgressionem pertrahit... ».

R. P. Maret semper visus est ad amussim haec omnia servare. « R. Pater, cum Ministri munus obiret », ait exempli causa eius nosocomus, « Fratribus semper opem ferebat, prandio coenaque actis, in colligendis scyphis et lavandis, in catinis in culina tergendi. Sermone quoque sancto, gratiae et comitatis pleno quotidie nos aedificabat ». « Patrem Maret », adiungunt qui per multos annos et ad ultimum usque vitae spiritum illi convixere, « de cibo male apparato vel potu queritantem nunquam, ne semel quidem, audivimus. Opera, quaecunque illi praestabatur, contentus semper, hilari vultu et grato ». « P. Maret », pergit idem testis, « *Pater semper iurenis* appellari posset... Ad portam enim, in locutorium aut in ecclesiam ad campanae pulsum hue aut illuc vocantis, etiam cum iam morbo correptus esset et anhelus, sese vi quasi trahens, statim descendebat, sacristae et ianitoris levamen semper ac deliciae. Si nullus ad quamlibet sui ministerii operam promptus et expeditus inveniebatur, aderat P. Maret promptus semper et hilarius ».

Ex morbo asthmate, quod vocant, undecim annos laboravit; communibus tamen actibus semper intererat. Ne munere quidem hebdomadarii se solvi patiebatur, quamvis vox iam adcensu in sacellum defatigata miserandum in modum in recitandis precibus impediretur.

Cum oppressus ingravescenti morbo ex conclave recreationis scalis ascendere in sacellum per se ipse non posset, subsellio sedens a duobus Fratribus deferebatur. Eodem modo post vespertinam meditationem in reformatum ad coenam descendebat, eodem e cubiculo nonnunquam in confessionale, hinc in cubiculum saepissime, praesertim temporibus vitae ultimis, eodem quoque e refectorio in hortum post meridiem. Solitus erat dicere communem recreationem actum esse maximi momenti, utilissimum-

que non modo animis solandis remittendisque, verum etiam cordibus communis caritatis vinculo coniungendis. A quo exercitio communi, cum regebat communitatem, abesse ferebat neminem. Portae semper ut hora recreationis clauderentur neve aperirentur curabat. In hoc exercitio *in Domino* peragendo, quoad nobiscum vixit, exemplo fuit omnibus. Infirma etiam valetudine impeditus, interesse volebat recreationi, in qua sermo eius comitate, caritate, pietate summa redundans animos confratrum recreabat in Domino atque aedificabat.

Viribus autem fortis Christi militem deficientibus, quamvis non cubiculo egredi, non e lecto descendere valeat, suam tamen Regulam diu noctuque custodit; communitatris exercitia suo quodque tempore absolvit, confessionem etiam hebdomadalem die suo, consueta hora peragit. « R. P. Maret », ait eius nosocomus, « cum nondum pietatis exercitium peregerat peragendique tempus advenerat, defatigatus solitoque anhelantior videbatur; incepto autem aut absoluto, vitam (*sic*) animique tranquillitatem recipiebat ». Adeo verus filius Congregationis sua Regula *vivit!*

P. Maret ad extremum usque diem e lecto — in lecto ultimis mensibus remansurus — cum communitate surgebat eo sensu quod, reclinatus in lecto hora, qua communitas, matutinam meditationem ceterasque instiuebat; examen vespertinum hora, qua communitas; tandem cum communitate se nocturnae quieti, vel suo martyrio, hora nona cum dimidia tradebat. Cumque ei aeternus dies eluxit, hora erat quarta cum dimidia, qua, non terrestri communitati ad novum orationis, laboris, et sacrificii regularem diem agendum, sed caelesti, fidelis servi fruiturus beatitudine, se associasse creditur.

QUA PIETATE ET VENERATIONE SUPERIORES SUOS COLUERIT, QUA CARITATE CONFRATRES. — Superioris colebat suos ac venerabatur, non secus atque ipsam Iesu Christi personam. « Cum superveniebat aut loquebatur Superior, P. Maret », testatur iterum eius nosocomus, « observantiae spiritu velut occupabatur; nec quisquam assequi cegitando potest, qua quis maiore affici valeat reverentia *coram ipso Iesu Christo Domino Nostro* ». Nunquam illum de Superioribus vel levissime murmurantem audivimus. Partes semper ut tenerentur Superioris, non modo verbis saepissime, sed etiam exemplo quotidiano et tota vita hortabatur. Eo affectu, sinceritate, alacri animo, gratia, loquens de Superiori vel eum adloquens, uti solebat, ut eum R. P. Minister pridie kalendas Ianuarias vel ante diem R. P. Rectoris Patrono sacrum, ut huic sui loco pro tota communitate gratularetur, non semel elegerit. « Admodum R. P. Rector, in tua Reverentia ipsam Iesu Christi personam et videmus et observamus et diligimus ». Hoc exordium ita verum et sincerum sonabat, ut R. P. Maret genuinus ad normam Regularum cultor suorum Superiorum appareret.

Erga confratres P. Maret viscera caritatis revera singularis induerat. Qui Congregationem suosque Superiorum amore prosequebatur operibus comprobato, fratres *non verbo neque lingua, sed opere et veritate* singulos necesse erat diligenter. Caritas fraterna criterium eius in Regulis interpretandis. Dubium quisquam movit aliquando, de regula qua Missae octo singulis Congregatis pro defuncto patre vel matre conceduntur, forentne duobus sanguine fratribus, in eadem domo manentibus, Missae concedendae sexdecim, an octo modo sufficerent. « Sufficient minime ! » P. Maret animata voce respondet. « Uterque filius Congregationis, uterque filius defuncti. Ergo, quia est mihi frater Redemptorista, ius amittam a Congregatione concessum ? ». Perperam de confratribus murmurans auditus est nunquam; murmurantesque pati non poterat, quin in eos animadverteret. Fratri laico, qui olim confratris absentis bonum ausus est nomen laedere, poenam gravem imposuit. Tandem, qui cunctos aut veri patris, immo tenerissime matris ad instar diligebat, a cunctis quomodo diligenter, difficile dictu est, facile vero cuivis intellectu.

PIUS EIUS AMOR ET CULTUS ERGA S. P. N. ALFONSUM. — « In gymnasio Bagnensi erat in studiorum conclavi », ita ipse Stephanus narrat, « *imago pulcherrima* S. Alfonsi, quem parochus, gymnasii institutor idemque moderator, *sanctum Ligorium* appellabat. Imagine coram illa genua quodam die flexi rogavique, ut mihi sua opera vocationem aperiret; mecumque statim his verbis sum locutus: Si quaedam eius nomine Congregatio esset, eam ingrederer. » *Intuitus eum, dilexit*: pater filium, filius patrem. Cetera iam nobis nota. P. Maret N. S. Patris et Doctoris vitam, epistulas, scripta omnia magna cum assiduitate legebat, pia mente degustabat meditando, vehementer admirabatur, cum amore ac fervore praedicabat. Duas illas et quinquaginta S. Doctoris contiones, vel potius integras earum synopses, sibi exscriptas habebat, « *quae (scribit ipse) magnam mihi, sive in Christi fidelibus, sive in religiosis viris ac mulieribus, sive etiam in sacerdotibus instituendis, operam praestiterunt.* » Commentarii praesertim P. Tannoiae Patri Maret in deliciis erant. Legebat eos atque relegebat; in iisque dilectissimi sui Patris vitam postremo integrum legit, paulo ante quam mortuus est. Novi semper aliquid in Tannoia inveniebat; illudque in nocturna recreatione, anhelitus angustiis quibuscumque non obstantibus, elata voce et vibranti — *quantum miraculum!* solitus exclamare; *haec summa est Evangelii!* — cum Patribus Fratribusque communicabat.

Qua pietate ceteros Sanctos ac Venerabiles nostros diligenter, postremis suaे vitae mensibus patefecit praecipue. Quas enim eorum imagunculas super scrinio positas continuo pie adspicerat, eas parieti secus lectulum affigi voluit. Quas inter etiam Patris Desurmont conspiciebatur effigies.

SPECIALIS P. MARET ERGA B. M. V. DEVOTIO. — Stephanus cum suo condiscipulo Augusto Bruchez Officium Parvum B. M. V. in gymnasio Bagnensi recitabat quotidie. Redemptorista Mariam speciali affectu dilexit, eius laudes miro fervore praedicavit. Aureum volumen S. P. N. de Laudibus Marianis, eius lectione non contentus ad coenam quotidiana, in scrinio ad manum habebat. Cum sacrum suggestum ad annuntiandam vocem laudis ascendere non licuit amplius, mediocris ingeni conscius, amore tamen impulsus, qui sibi omnia licere praesumit quique omnia vincit, calamum arripiuit, libellumque meditationes complectentem in singula anni sabbata compripsit. Ad Patris cubiculi portam adfixa B. Virginis de Perpetuo Sucursu conspicitur adhuc imaguncula osculis detrita, quibus, quoad suis pedibus cubiculo exivit, tenerrimum erga caelestem Matrem amorem, nostrorum more novitiorum, effundebat. Sane mira constantia, quae nota est verae devotionis certissima. « Quidquid modicum, dummodo sit constans », aiebat iuvenis ille, Aloisii frater et aemulator angelicus.

AMATOR ATQUE IMITATOR IESU CHRISTI. — Ipse scribit: « Domi Sanctum Evangelium nobis (ipsi et fratribus) librorum longe optimus omnium videbatur, *quod Iesum sapiebat*. Cum ovium pastor essem, in pascua illas agere mihi erat oblectamento, quoniam agnelli divinum Agnum in memoriam revocabant, qui pro nobis est occisus. » Cum in grammaticam clari sacerdotis Lhomond perdiscendam incumberet, exemplum illud offendit, quo quoddam illustratur grammaticale praeceptum: *Sapientia nihil affirmit, quin probet*. « Quae verba plurium mihi », loquitur ipse, « materiam dedere meditationum. Sapientia est amor; probatio vero amoris sunt opera. Nihil ipse Deus aliud facit: amat, tamque multis operibus amorem probat... Idem mihi faciendum. Et re quidem vera ex illo tempore mihi videor amoris vitam egisse. » Hic attendamus opportet haec verba a Patre Maret prolata esse sub ipsum limen aeternitatis. Latini sermonis regula sic in Stephani memoria haesit, ut exeunte novitiatu non aliis verbis religiose vivendi normam sibi constituerit: « Itaque meum et generale propositum et particulare haecce semper erunt: Generale, amoris vitam agere, Iesu Redemptoris ad instar; particulare, hunc amorem duodecim anni virtutibus exercendis sustinendoque luctamine adversus defectum dominantem probare. »

Amoris ignis, quo inde a puero diligere Deum Redemptorem didicerat, crevit in incendium, cuius indicia non semel vocibus praebuit inflammatis. A sacerdotibus in spiritualibus exercitiis per ipsum traditis saepe solus in cubiculo audiebatur suspirare: « Te, mi Deus, diligo! » Peccatum iniustiae materiale pertimescebat plus quam Purgatorium. Lege quae sequantur, ubi aliud quoque verae dilectionis indicium, sui nempe oblivionem omnimodam, invenies. « Missarum praefectus per plures annos sum

constitutus... Oblivione vel alia de causa mihi ignota fieri potest, ut Missarum intentiones nonnullas non applicaverim. Te igitur oro, Iesu mi, hanc gratiam, ut quae post mortem in animae meae suffragium Missae sint applicandae, loco applicentur earum quae a me fortassis applicatae non sint. Ita iniustitia animae non adhaerebit ulla ».

Suam dilectionem comprobavit studio indefesso et ad mortem usque constanti virtutes et exempla divini Redemptoris imitandi. Memoria R. P. Maret in mentem revocari non potest, quin illud *Omnia quemadmodum Jesus*, aut scriptum oculis obveniat, aut millies ore pronuntiatum audiatur. Christi *conspicuus imitator* ille Caesar Sportelli, si strenuos nondum aemulatorum habuissest, nactus hunc esset sane primum.

Libellum compositum meditationum de Corde Iesu duarum et quinquaginta, quarum si considerationes sive affectus aliquantulum perlegeris, linguae imperitiam praeteribis, ut cor amore Iesu conflagrans atque ignivomum admirere.

Hora fere sexta p. m. devoti fideles, campanae pulsu convocati, ad visitandum Sanctissimum nostram in ecclesiam conveniunt. R. P. Maret, sola dilectione adductus, relicto confessionali fidelibus sese ad visitationem Sacramenti peragendam iungere consueverat; nec eos prius dimittebat quam ad amorem Iesu Christi in tabernaculo latitantis ferventi esset orationcula adhortatus; neque id facere destitit, cum ex morbo laboravit molestissimo.

Festo Purificationis B. M. V. paenultimam missam celebravit, ultimam feria VI subsequenti. Attamen octo post diebus adorationis XL Horarum voluit interesse: duorum Fratrum manibus subsellio sedens quotidie in ecclesiam gestabatur. Ibi per horas longas, sibi brevissimas, animam in oblationem dilectionis totam exhalabat.

Tandem R. P. Maret veram suam dilectionem erga Christum, opere illo divino, quod Incarnatum Verbum usque perficit animarum redemptione, in primis comprobavit. Hocce capite Patris Maret proprie vitam attingimus. Paucā saltem conscribantur, perlegantur, aedificant.

**ZELANS MISSIONARIUS.** — Fervor zelantissimi missionarii iam loquendi modo prodebatur. Vox eius semper alta in communi sermone conferendo, altior in precibus cum cōmunitate recitandis, summa in contionando. Excmus Archiepiscopus Quitensis Emanuel Pólit, cum adhuc Conchensi huic dioecesi praeesset, Patrem Maret contionantem et catechizantem audivit. « Dic mihi, quaeſo, Pater », hunc olim interrogavit, « quare R. T. voce semper contionetur summa ». Qui respondit: « Illustrissime Domine, sanctum Evangelium, bonus nuntius, verbum Dei, continuatum miraculum est, quod Deus hominibus operatur: plane igitur dignum, quod modo nutietur, quo res maxima: ingentibus maximisque clamoribus ».

P. Maret missionarius secundum Regulam fuisse omnino videtur. Vero spiritus fervore, ut illa loquitur, et maxima quasi animarum fame stimulatus, unaquaque contione homines ad meliorem frugem reducere et ad summam vitae sanctitatem perducere voluisset universos. Eum audivimus sublimem illam, sed elementarem divi Pauli de imitando Christo doctrinam e sacro suggesta rudibus indigenis accomodate explanantem. Ipse nobis narravit: « Cum R. P. Desurmont iussit me in Americam traiicere, illuc iam profecturum me ad se vocavit. 'Adspice, Frater, quantum Jesus pro salvandis animabus passus sit: Nuno igitur Ipse te Aequatorem mittit, ut illis salvandis adeo derelictis animabus operam des'. Simulque suspiciens Crucifixum flevit, egoque cum illo. Ei me multum in animarum earum beneficium laboraturum promisi. 'Hoc sane mihi in votis est, ut meus optimus Frater Maret multum, rite diuque laboret' ». Hoc sui Superioris votum P. Maret absolutissima ratione adimplevit.

In missionibus verbum Dei, *maximum nuntium*, Hispanica lingua praedicandum suscepit, paulo post quam est presbyter ordinatus. Ab anno autem 1885 indigenarum sermone uti iam poterat; proque his pauperrimis indigenis spiritualiter excolendis totum se impendit et superimpendit. Quo spiritu, quo zelo, qua tenerrima caritate id fecerit, ex eius ad Indianos postrema contione patebit.

Mense Novembri a. 1933, postremo die tridui sollemnis quod socii S. F. indigenae celebrant, R. Pater, qui iam nec ad confessiones audiendas exire posset, post Missam sollemnem ad illos verba facere voluit. Sella brachiata in presbyterio paratur. Huc Pater Fratrum manibus sub finem Missae defertur. Visis suis dilectissimis indigenis vires recipit, sellam respuit, stat senex, canis capillis venerabilis, et voce quoque recepta incipit: « *Cuyashcacunalla* (id est, filioli dilecti), nos vere vos diligimus... » Fere quarantam horae partem consueta voce, magno fervore, caritate suavissima ultimum est eos addocutus.

Adeo verbi Dei pauperibus nuntiandi avidus fuit, ut, cum iam vires ad missiones et exercitia spiritualia tradenda non suppeterent, contionandi quamvis opportunitatem non neglexerit. Pauperes, centum fere, singulis feris IV et sabbatis in nostri coenobii atrium eleemosynae accipiendae causa congregantur. Ante vero quam huc conveniunt, sese omnes oratum in ecclesiam conferunt. Iam vero R. P. Maret, ut suos pauperes coram Sanctissimo congregatos videbat, semper e confessionali surgebat, interque anhelae respirationis angustias fervidam ad illos habebat oratiunculam, qua eos ad paupertatis amorem et patientiam hortabatur.

Pater Maret in ministerio confessionalis hic parem non habuit. Prudentia eius, mansuetudo, zelus, assiduitas exemplo fuerunt omnibus sacerdotibus et manebunt. Totam Quadragesimam anni quo mortuus est confessiones audivit, et postea saepissime tam ad prandium quam ad coenam ob vires exhaustas alienis manibus efferebatur.

Eius apud episcopos, sacerdotes, religiosos viros, praesertimque mulieres magna erat auctoritas. Oraculum ab omnibus habebatur et in utroque quidem foro. « Ab iudicio Patris Maret non provocatur », auditus est dicere quidam sacerdos. Patribus nostri Instituti aliorumque Ordinum ingenio et doctrina praestantioribus praelatus est, cum Fidei Promotore opus fuit in processu canonico R. F. Michaëlis, Scholarum Christianarum alumni.

Tantum verbo et auctoritate pollebat apud omnes, etiam magistratus, in provincia, ut anno 1919 vel sequenti, ingenti indigenarum tumultu in civitatem concitato, provinciae gubernator ab eo petierit, ut Indianos sedaret verbo et auctoritate sua, et imminenti civitatem liberaret periculo. P. Maret, Crucifixum manu portans, it obviam insurgentium multitudini, pluribus auctae milibus. Ut primum pietate gravem ac meritis virum conspexere, silent arrectisque auribus auscultant. Ille regit dictis animos, furentia pectora demulcet, dicto turbam placat tumultuantem, domum mittit quemque suam, et civitatem timore simul et periculo liberat.

Optimam vero partem zelantissimae suae caritatis suis in religione fratribus reservavit. Quo maiore prudentia eos Rector gubernaret, aut confessor et conscientiae moderator per viam sanctitatis dirigeret, sententias unam et quinquaginta e doctrina praestantissimorum Congregationis Superiorum excerpterat; et praeter Regulam et sancti Fundatoris opera litteras circulares Rñorum PP. Generalium pie, avide et assidue perlegebat.

**FIDELIS USQUE AD MORTEM.** — R. P. Maret, genuinus Redemptorista, ad sancti Alfonsi mentem et Redemptoris ad instar, pridie etiam quam in Patriam est profectus, de proximo Analectorum numero interrogabat, deque rebus Congregationis cognoscendis mira sollicitudine tenebatur, nunquam laetior quam cum lectulum suum a confratribus circumcingi conspiciebat.

De die quo vota nuncupaverat et natus est Congregationi scripserat: « O diem beatum! Redemptorista in aeternum!... Formula professionis adeo mihi pulchra visa est, ut eam cunctis diebus vitae meae religiosae recitaverim ». « Quo pacto ineffabilem in me teneritatem divinae Providentiae depingam?... Deus infinitae bonitatis itinera praeparavit, evertit omnia impedimenta, ut me in hanc terram promissionis, quae C. SS. R. nuncupatur, induceret... Deus ipse me, velut pater filium dilectissimum, quasi manu perduxit in novitiatum SS. Redemptoris. Deus meus, Deus meus, gratias tibi ago *per omnia saecula saeculorum!* »

R. P. Stephanus Maret Conchae vixerat sex et quadraginta annos. Nunc in caelis *coronatus* vivat in aeternum; oretque pro nobis Dominum, qui Domini in amplexu et osculo obdormivit.